



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097

Festum Inventionis S. Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53072)


**FESTUM
 INVENTIONIS
 S. CRUCIS.**

CruX Via Cœli. **THESIS I.** *Initiavit nobis viam no-
 vam. Hebr. 10. v. 20.* *CruX*
 est ad cœlum I. *Via Brevis*, ut, qui hanc
 tenuerint, intra unum diem, intra ve-
 num momentum, in ipso tempore, quod
 crucem portârunt, pervenerint. II.
Via Secura, quia Christus hanc elegit,
 quia Sancti hac via transierunt, & quia,
 qui hac via non incedunt, ad cœlum
 non perveniunt. III. *Via Necessaria*, ut
 obtineatur hæc merces, ut percipiatur
 hæc corona, ut possideatur hoc Re-
 gnum. *La Selve.*

THESIS II. *Notas facite in pe-
 pulis ad inventiones ejus. Ilai. 12. v. 4.*
CruX est inventio admirabilis Sapien-
 tiæ, Justitiæ, & Bonitatis Divinæ. I.
Sapientie quidem, quia Redemptio in
 ea facta, ut homo, qui per Lignum pe-
 tijt, per Lignum restitueretur. II.

Iusticia, quia per eam ostenditur, quid mereatur peccatum, propter quod oportuit pati Christum. III. *Bonitatis*, quia amorem Filij Dei erga homines demonstrat, insuper solatium affert Tribulatis. *Crasset in Medit. Festo Invent. S. Crucis.*

THESIS III. *Notas facite in populis ad inventiones ejus. Isai. 12. v. 4.* Providentia Divina non nisi tribus modis homines gubernare potuit. I. Permittendo, ut semper Bene Bonis, & Malè Malis esset: Verùm hac ratione homines securi forent Amoris, & Odij apud Deum, & Justi nil haberent, quod timerent, nec Mali, quod sperarent, qui status solùm est alterius vitæ. II. Permittendo, ut Malis semper Bene, & Bonis Malè esset: Verùm hoc homines de Providentia Divina dubitare faceret, an gubernaret Universum. III. Permittendo, ut utrisque Bona, & Mala mixtim contingerent, & hunc modum elegit Divina Sapiencia, per consolationes & tribulationes homines ad se trahendo. *Id. ibid.*

DIES